

5170 Maroni alumno | C. Calpurnius | Lausus. |  
 Domino dilectus quoquo iret, semper | comes, |  
 poculi<sup>1</sup> minister, | doctus palaestrae puer, |  
 eques | sepultus hic sum natus annos octo et | decem.

*Beneventi (IX 1880 bis descripta saec. XVII. Buecheler carm. ep. n. 400; de vitiis carminis cf. Buecheler l. c.). — 1) oculi alterum apographum.*

5171 L. Cornelius | Pothus, palaest.<sup>1</sup> | Hospita l.

*Roma Florentiam allata (VI 40152 vidit Bormann). — 1) Hunc et similes palaestritas privatorum vel etiam Caesaris servos publice produisse minime poterit statui.*

5172 qui colitis Cybelen et qui Phryga plangitis Attin<sup>1</sup>, |  
 dum vacat et tacita Dindyma nocte silent, |  
 flete meos cineres; nón est alienus in illis |  
 Hector et hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.<sup>2</sup> |  
 Ille ego qui magni parvus cognóminis heres<sup>2</sup> |  
 corpore in exiguo res númerosa fui, |  
 flectere doctus equos, nitida certare palaestra, |  
 ferre iocos, astu fallere, nosse fidem. |  
 At tibi dent superi, quantum, Domitilla<sup>3</sup>, mereris |  
 quae facis exigua ne iaceamus humó.

*Romae olim ad viam Appiam, nunc in palatio Albaniorum ad quattuor fontes (VI 40098 cf. p. 5494 descripserunt primus Pomponius Laetus, nuper de Rossi aliique. Buecheler carm. epigr. 4410). — 1) Adloquitur defunctus cultores Matris deum et Attis, inter quos et ipse fuisse pulandus est et qui fortasse eo fere loco, ubi lapis prodiit, convenire solebant; certe sacra quaedam Matris deum quotannis in Almone fluvio (cf. Marquardt Staatsverw. III<sup>2</sup> p. 575) peragebantur. — 2) Hectorem nomine fuisse oriundumque e Phrygia se significat. — 3) Domitilla fortasse Flavia, uxor Flavii Clementis consulis a. 95, cuius praedia iuxta viam Appiam et Ardentinam notissima sunt (Buech., Huels.).*

5173 Ursus, togátus<sup>1</sup> vitreá qui primus pila |  
 lúsi decenter cum meis lúsóribus, |  
 laudante populó maximís clamóribus, |  
 thermis Traiiáni (*sic*), thermís Agrippae et Titi, |  
 multum et Nerónis, si tamen mihi créditis, |  
 ego sum. Ovántés conveníte pilicrepi<sup>2</sup> |  
 statuamque amici floribus violis rosis |  
 folióque multó adque unguentó marcidó |  
 oneráte amantés et merum prófundite |  
 nigrum Falernum aut Sétinum aut Caecubum, |  
 vivó ac volentí dé apothécá dominicá<sup>3</sup>, |  
 Ursumque canite vóce concordí senem |  
 hilarem, iocósum, pilicrepum, scholasticum, |